

## Julapium salinum.

### *Almindelig Julep.*

R. Solutionis Carbonatis kalici partes qvinque, .....	5
Aqvae Menthae piperitae partes triginta duas,.....	32
Syrupi Sacchari partes duas; .....	2
misceantur in lagena firma justae magnitudinis. Deinde	
inter qvassationem sensim addatur	
Acidi citrici in frustulis pars una.....	1.
Mixtura peracta, lagena continuo obturetur.	
Sit limpidum et magnam copiam Acidi carbonici liberi	
contineat.	
Paretur ex tempore.	

---

## Kermes mineralis.

*Sulphur stibiatum rubrum D. 50.*

(*Hydrosulphuretum stibiosum Sv. 45. Pulvis Sulphureti stibici cum*  
*Oxydo stibico N. 54).*

### *Kermes.*

R. Aqvae communis partes ducentas qvinqaginta; . . .	250
in lebete ferreo calefiant, donec bulliant, deinde addantur	
Carbonatis natrici venalis partes viginti qvinqve, . . .	25
Sulphureti stibici laevigati pars una.....	1.
Mixtura inter agitationem saepius repetitam per duas horas	
continenter coqvatur, sed providendum est, ut Aqva evapora-	
tione consumpta semper restituatur; deinde liqvor qvam cali-	
dissimus in vas lapideum aptum antea calefactum celerrime	
filtretur. Liqvore prorsus refrigerato, lixivia innatans defun-	
datur, sed sedimentum in filtrum colligatur et Aqva destillata	
sensim affusa eluatur, donec liqvor defluens colore tingi coe-	
perit nec amplius reactione alkalina sit. Sedimentum, inter	
plagulas chartae bibulae pressum, loco obscuro tepidoqve, calore	

25° vel 30° non excedente, siccetur, deinde in pulverem subtilem redactum in vase probe clauso loco obscuro servetur.

Sit pulvis subtilissimus et colore e fusco rubro; in Acido hydrochlorato facile et plane solvatur. Ubi unum gramma pulveris cum quatuor grammatis Nitratis natrici commixtum in crucibulo porcellaneo detonuit, liqvor, elixiviatione residui albi relicti paratus, postquam filtratus est et Acido nitrico accurate neutralisatus, Solutione Nitratis argentici addita, praeципitat e rubro fuscum ne praebeat.

## Kreosotum.

(*Creosotum Sv. 45. N. 54.*)

### *Kreosot.*

Liqvor limpidus, coloris expers, tempore progrediente flavescent vel rubescens, paullo gravior quam Aqva, odore penetranti; in Aqvae partibus octoginta solubilis, in omni proportione Spiritus, Aetheris, Petrolei, Sulphidi carbonici solubilis; in Solutione Hydratis kalici prorsus solvatur, quae solutio, majore copia Aqvae addita, ne turbetur. Ad chartam exploratoriam indifferens sit. In vase, epistomio vitreo clauso, a luce remoto servetur.

## Lactas ferrosus.

(*Sv. 45. Lactas ferrosus crystallisatus N. 54.*)

### *Melkesurt Jernforilte.*

R. Sacchari lactis pulverati partes duodecim; ..... 12  
solvantur in

Seri lactis sponte acidi et turbidi partibus ducentis  
quadragesima ..... 240

et seponantur in loco, cuius temperatura sit 25° vel 30°, quo facta, mixtura fermentari incipiet. Acidum tum quotidie saturetur tanta copia